



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**


### **De Sanctissimo Christi Iesu Dei Et Hominis Amore**

**Le Gaudier, Antoine**

**Coloniae Agrippinae, 1620**

Orationes pro impetrando amore Christi Iesu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50572](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50572)



ORATIONES PRO IMPE-  
trando amore Christi  
Iesu.

AD PATREM.

**O**MNIPOTENS æter-  
ne Deus, Pater Do-  
mini nostri I E S V  
Christi, gratias tibi  
ago, quod ita dilexeris mun-  
dum, vt vnigenitum tuum  
nobis dederis, per quem cum  
fiducia haberemus accessum,  
ei ô Pater sanctissime promi-  
sisti gentes in hæreditatem:  
trahe ergo nos D O M I N E  
D E V S ad eum, clarifica in  
nobis filium tuum, vt te  
clarificauit. Da I E S V M  
habita-

mati-  
pat, o-  
Viuo  
e verò

e Iesu,  
simus  
titatis  
ntissi  
xcon-  
vete-  
colli-  
am  
æ

RA-

habitare per fidem in cordibus nostris, illumina oculos nostros, ut sciamus, quæ sit spes vocationis eius, quæ diuitiæ gloriæ eius in sanctis, & quæ supereminens virtutis eius magnitudo, ut eum diligamus, sicut tu dilexisti: & ut omnia tua dedisti illi in manu, ita nos, nostraque omnia subijciamus, ut tanquam primogenitus noster & caput sit per omnia in nobis benedictus, Amen.

## AD FILIVM.

**D**OMINE Iesu Deus noster, à quo omnia bona nostra ut capite sanctissimo profluunt, lux mundi, via ad

Patrem

Patrem vera & viuifica, ostiū  
per quod qui introierit, salua-  
bitur, fons vite, qui vitā illam  
diuini amoris, in sinu Patris  
absconditam, patefactis in te  
bonitatis diuinæ, ac benigni-  
tatis diuitijs nobis manifesta-  
sti: adimple in nobis gau-  
dium tuum, teque in nobis,  
& toto mundo clarifica, illu-  
minans vultum tuum super  
nos, vt cognoscamus in terra  
viam tuam, & diuinæ sapien-  
tiæ dispensationem, & dile-  
ctio qua te diligit Pater æter-  
nus, sit in nobis, vt sicut ille  
est in te & tu in eo, ita & tu sis  
in nobis, quidquid habemus  
sanctissimæ tuæ gloriæ omni-  
no deuotum possidens, & car-  
ni,

ni,

ni, mundo, nobisque per veram abnegationem mortui, tibi, & in te semper viuamus, Amen.

AD SPIRITVM SANCTVM.

**S**ANCTISSIME Spiritus, verus æternusque Deus, adorandæ Trinitatis amor, qui à Patre, Filioque procedens missus es in hunc mundum, Christum clarificare, & de eo testimonium perhibere, ita vt sine te, nemo possit dicere, Dominus Iesus; quæso igitur, vt internum nobis de eo testimonium perhibeas, quod sit Dominus & Deus noster, via, veritas, & vita, absconditum à sæculo sacramentum

& in.

& inuestigabiles diuinæ sapiē-  
 tiæ ac bonitatis diuitias nobis  
 manifestans, in hac nos veri-  
 tate sanctifica, sanctificator  
 omnipotens: postulare nos  
 fac gemitibus inenarrabili-  
 bus sanctissimum Iesu amo-  
 rem, eumque nobis ipse tri-  
 buere bonorum omnium lar-  
 gitor, vt per quem Pater in  
 Filio, & Filius in Patre, tuque  
 in ijs, & illi in te sunt, ita per  
 te maneamus in Christo,  
 & ille in nobis A-  
 men.

*Ad maiorem Dei gloriam.*



